

~~C7887~~

40

Ud 7040.



Biblioteka Jagiellońska

SIDR0012418

At.: Ud 7040

- 1,
- 2, Discursus contemporaneus.
- 3, Considerationes monetales.
- 4, Kurze und gründliche Deduction
- 5, id. latine.
- 6, Deductio rei monetalis
- 7, Discursus de re monetaria.
- 8, Epistola mercatoris.
- 9, Dowd iarmey etc.
- 10, Versuch und flücht Londoner.

8.)

EPISTOLA
Mercatoris cujusdam
ad
Equitem Polonum,
Statum modernum rei monetariæ
concernens,
ex
Idiomate Polonico in Latinum versâ,
ANNO M DC LXIX.

Verf. Fabian Gustmeier

gesch. Polen 400

Generose & Magnifice Domine.

Postquam ex nuperis Generos:
Magnif: Vestr: literis intellexi, Eam
non nihil commoveri ac indignari.
quod Gen: filii sui Cambium non ita
pridem huc è Belgio ad me transmis-
sum sedecim Florenis pro Centum ca-
rius, quam antehac (ubi etiam cursus
collybi & diu usitatum lagium in com-
putationem veniebant) exsolverim, ac in ratiocinia mea re-
latum ipsi exhibuerim, intermittere non potui, quin tam pro
mea exculpatione, quam pro meliori Generos: Magnif: Vestr:
informatione Eidem mediante hac Epistola decenter repræ-
sentem atq; Demonstrum, me non solum evidentibus ac
notoriis veritatis documentis, sed etiam liquidis Mercatorum
in Belgio aliisq; peregrinis regionibus negotiantium
testimoniis confirmare posse, illud, quod eo nomine à me
solutum & necessariò solvendum ratiociniisq; meis insertum
fuit, non alia de causa tam immodicè excrevisse, quam pro-
pter emergentem hic loci novæ viliorisq; monetæ, nimirum
Sexgrosfalium & Orthonum Bidgostiensium vulgò
Brombergensium abundantiam, qua sicuti hætenus com-
merciorum, ita etiam cambii cum exteris nationibus ordo
acus si non planè sublatus, certè valde turbatus & multò
quàm antea sumptuosior & continuatu difficilior factus est.
Nam cum nummus mensura omnium rerum vendibili-
um sit, sicuti Generos: Magnif: Vestr: non ignorat, ex ejus-
q; intrinseca bonitate, non verò extrinseca æstimatione ac
valore cunctæ merces æstimentur, & ubiq; locorum taxam
suam sortiantur, aliter fieri non potest, quàm ut eò ma-
jus

ius aut minus eis pretium à mercatoribus constituatur, quo meliora aut deteriora nummorum genera in illis locis vigent, quo mercator merces suas asportat aut transmittit, quam in illis locis, ubi domicilium habet, aut ubi merces suas parat, cujus rei satis locuples testis est quotidiana experientia, imò ipsum inclytum Regnum Poloniæ, quod tam opum quàm Virorum Excellentium gloria toto Orbe celebratur, id quotidie non levibus incolarum suorum damnis experitur. Eandem igitur Mercatorum cautelam etiam Collybistæ in exercenda re argentaria solenter observant, quando mediantibus Cambii, quas vocant, literis, pecunia pro pecunia reddenda venit, quæ aut viarum periculis exponenda, aut æquivalens ejus pretium ex uno loco in alium trajiciendum est. Quinimò non possunt neq; debent aliter facere! nam nisi in tempore exactè secum perpendant intrinsicam currentium ubicunq; tam in loco domicily quàm mercatus monetarum bonitatem, probè considerando quantum invicem justâ proportionem distent, aut quatenus inter se comparari possint, sero ruinam & calamitatem facultatum suarum antevertere satagent.

Jam verò temporum injuria (proh dolor!) eò ventum est, ut prorsus rei nummarix, & cum illa commerciorum faciem mutatam videamus, neq; ullum ferè amplius pristinx monetæ vestigium appareat, nam prædicti isti Sexgrossales & novi Orthones Brambergenses ferè cunctos thaleros antehac in Polonia visos, nec non cæteras in inclyto hoc Regno incorporatisq; Provinciis procusas probæ monetæ species, & denique ipsos initio novissimi belli Suetici cusos melioris notæ Orthones ita deglutiverunt, & in se converterunt, ut exterminatis inde planeq; evanescentibus antiquis & pinguioris naturæ monetis, isti Sexgrossales & Orthones ferè soli demum in usu ac commercio hominum reliqui sint, multoq;

multoq; viliores existant, quàm hi Orthones, qui initio belli Suetici cusi sunt, qui parum differunt ab illis, qui ante 40. & amplius annos in Polonia procudebantur. Unde si intrinsicæ modernæ monetæ bonitas spectetur, novi isti Sexgrossales & Orthones Bidgostiensis ad thalerum tribus florenis computatum comparati Sedecim pro Centum & ultra minoris sunt, quàm hi, qui tempore dicti belli Suetici procusi fuerunt; ac idcirco thalerum, nec non Ducatum, & denique ipsum argenti infecti s. crudi mercatum tam notabili pretii auctione extulerunt, ut necessariò ob hunc internæ qualitatis defectum mercatores, qui non minus de lucro captando quàm de damno vitando solliciti esse solent, jacturam in viliori moneta factam aliundè, nempe augmentatione & numero specierum viliorum, in solutum acceptarum, reparare ac pensare cogantur; nam aliàs neque emolumentum ex mercimoniis speratum, neque id quod in merces coëmendas probæ monetæ insumerunt, aut in cambii solutionem expenderint, factum tectumve habituri sunt, sed præterquam quod Officium aliis peregrè degentibus pro modo facultatum suarum inserviendi, ipsis damnosum foret, etiam fortunas suas, posteaquam eas quinquies aut sexies mercaturæ aut cambii infructuosa quadam versura commutaverint, postremò ad nihilum redactas videbunt.

Sed ut Gn.^a Mf.^a V.^a penitiùs hæc animo concipere possit, observatu necessarium erit,

I. Quod paulò ante novissimum bellum Suecicum aut saltem in illius primordio Orthones Polonicales undecim Lothones puri argenti habuerint, & triginta petiæ eorum unam marcæ monetalem seu brutam marcæ, ut vocant, confecerint, ita ut ex qualibet puri argenti marca viginti sex floreni 5½. grossi resultarent; Novi autem isti Orthones Bidgostix procusi ab anno c. 1663. usque ad annum 1669.

duntaxat X. Lothones duos denarios aut ad summum tres denarios puri argenti habuerunt, eorumq; 32. aut 32½. petiæ ut plurimum non nisi unam Marcam monetalem confecerunt, sicq; una marca argenti puri in posterioribus hisce Ortho- nibus existentis 30. fl. 18. gross. aut etiam 30. fl. 21. grossis expensa fuit: unde tanta veterum Polonicalium & modernorum Pruthenicalium Ortho- num erga recentiores hosce Bid- gostiensis discrepantia apparuit, & cursum monetalem adeo mutavit, ut ad Sedecim usque pro Centum supra antiquum modum excreverit, prout ducto calculo facile demonstrari poterit. Ubi haud silentio præteriri debet, quod in Majoribus Civitatibus Terrarum Prussiarum Orthones juxta antiquum illum pedem semper procusi fuerunt, neque etiamnum eodem modo ibidem cudi desierunt, etiam si in Polonia multo viliores cudantur, argentumq; multo majori nunc quam antea pretio ematur. Circa novos Sexgrossales Timpii & Boratini enormior adhuc differentia occurrit, quod fusius demonstrare supervacaneum duco.

I I. Quod ubiq; locorum Pes rei monetalis certus figi ac constitui soleat, juxta quem etiam coeteræ minutioris mon- etæ Species fabricari & conformari consueverunt; & quod non solum in vicinis regionibus, ut in Hungaria, Si- lesia, Austria, superiori & inferiori Saxonia, nec non in Belgio, sed etiam in Regno Poloniæ idem observatum fue- rit, ubi thalerus semper pro pede monetali acceptatus & coe- terarum minutiorum specierum, puta Ortho- num, Sexgrossalium, Trigrossalium &c. regula ac norma fuit. Cujus proportio in minutioribus speciebus. v. c. Ortho- nibus, Sexgrossalibus &c. adeo exactè exæquata & observata fuit, ut valorem Thaleri, in quem tres computantur floren- ni, per quadraginta & quod excurrit annos, mutare, aut florenorum valori aliquid adjicere, non fuerit necesse. Hac verò

vero tempestate, ubi minutiores istæ monete polonicalis species tenuiori grano fabricari cœperunt, id non amplius observatur, eamq; in fabricationem Sex petiarum Ortho- num Bidgostiensium modernæ monete vix plus argenti puri in- sumitur, quàm in quinq; priscorum Polonicalium & hodie- norum Pruthenicalium, item Sex petiis recentium Sexgrossalium vix tantum argenti puri inest, quam in quinq; ante- riorum, unde tanta in re monetaria dispropertio nata est, ut necessario valor Thaleri ad æmulationem & exemplum mi- norum harum specierum vilioris monete ad 3½. florenos ex- creverit; unde itidem Sedecim pro centum succrescunt. Hu- jus autem tam immodicæ auctio- nis circa valorem thaleri causa procatartica est luxatio pedis monetalis, quæ in mi- nutiorum nummorum speciebus contingit.

III. Quod modo prædicto excedente thaleri valore ad 3½. florenos usq; aliter fieri non potuerit, quin è vestigio commerciorum & cambiorum conturbatio sequeretur; nam ante hac peregrini mercatores circa solutionem Cambii aut venditionem mercium suarum satis securi & indemnes erant, ac esse poterant, dum pro valore centum Thalerorum, aut pro merce, quæ centum thaleris ipsis constiterat, hic in Po- lonia quingentos Orthones polonicales, quales initio belli Svetici cadebantur, & etiamnum in Civitatibus Prussiarum cudantur, recipiebant. Nunc verò quingentæ petiæ Ortho- num Brambergensium illis non sufficiunt, sed 583. petiis eorun- dem Ortho- num opus habent ad recipiendam ex iis, medi- ante permutatione, integram centum Thalerorum Summam, domum aut alio, ubi Thalerus usu prævalet, cambio trans- mittendam, quod itidem sedecim pro centum facit: ratio ejus hæc est; quod 583. Ortho- num Brambergensium petiis vix tantum argenti puri inest, quam in 500. antememora- torum Polonicalium & Pruthenicalium: & quemadmo- dum

dum pro quingentis horum, nempe Polono: & Prutenic: petiis centum Thaleros nancisci possunt, ita Thaleri valore juxta proportionem vilioris monetæ ad $3\frac{1}{2}$. fl. adueto, ultra 583. Orthones Brambergenses requiruntur ad redintegrandam citra permutationis damnâ præfatam Summam 100. Thalerorum, prout ex subsequente calculi Schemate patebit

<i>Orth. Pruthen.</i>	<i>Orth.</i>	loth. puri
30. petiæ continent XI. loth puri arg. 500. continent	- - -	18 $\frac{1}{2}$.
<i>Orth. Bramb.</i>		loth. pur.
32 $\frac{1}{2}$. petiæ continent X. loth. 3. den: 583. continent præter propter		183
<i>Thaleri</i>		
100. à 3. fl. faciunt	- - -	500. petias Orth. Pruton.
<i>Thaleri</i>		
100. à 3 $\frac{1}{2}$. fl. faciunt	- - -	583. petias Orth. Bramberg.

Quodsi igitur peregrini Mercatores non probe animadvertant hanc discrepantiam, neq; commodis suis in iis regionibus, ubi deterior moneta introducta est, maturè invigilent, valdè periclitabuntur, quippe si exactè rationes secum ineant, deprehendent necessum esse ad recipiendum integrum mercium aut cambii pretium, ut tam mercium suarum taxam, quam cambii pretium supra antiquum modum extollant, & ad augeant, alias male rei suæ consulent, & stolidè negotium suum gerent in iis regionibus, cujus statum monetalem ignorant, & ad ultimum sensuri sunt, se aliis inserviando sortem suam quinquies Sexiesve infelici negotiatione ac versura commutatam plane amisisse. Et hæc quæ de Orthoribus Brambergensibus hic dicta sunt, etiam de Sexgrossalibus accipi debent, prout calculus ostendet.

Ex hac igitur relatione evidentibus veritatis argumentis subnixâ Gn.^a Mf.^a V.^a satis, ut spero, perspiciet ac discernet, illud quod vigore literarum Cambii Generoso ejusdem

dem filio persolvi, ac ratiociniis meis inferui, necessario solvendum fuisse, quia Gn.^a Mf.^a V.^a eo nomine non aliam pecuniam, quam ejusmodi novos Orthones Brambergenses mihi misit, & nihilominus à me efflagitavit, ut filio suo totidem centena Thalerorum, prout à me factum est, in Belgio numerari curarem.

Porro quoq; ex his, quæ hætenus dicta sunt, facilè apparebit, quam fallax & erronea sit eorum opinio, qui asseruerunt, ejusmodi vilioris in Polonia Monetæ cursu nullum accipientibus damnâ inferri, eamq; eodem, quo acceptaretur, pretio rursus expendi sine ullo dispendio posse. Speciosus hic novorum in Polonia Monetariorum prætextus est, sub quo latent ipsorum technæ, quibus tot excelsis ac prudentibus ibidem Viris imponere eosq; in partes suas trahere conati sunt, ne tam perniciosus ipsorum artificiiis acrius refragarentur, aut meliori eorum, qui ex inclyti Regni salute suam pendere credunt, consilio ac opinioni adstipularentur, quo liberius ipsis interea magisq; impunè in sacrum rei monetæ fundum grassari, omniumq; Thesauris inhiare liceret.

Sed ne Epistolæ modum excedam, quam non nisi pro mea justificatione super Cambii rationibus exorsus sum, superfedeo omnia ex concessa vilioris istius in Polonia Pecuniæ monetatione emergentia & adhuc emersura damna, quæ etiam Gn.^{am} Mf.^{am} V.^{am} haud dubio damno suo expertam esse reor, enumerare. Ut tamen constare possit, an & quid remedii adversus hanc universi Regni tabem superfit, haud alienum à proposito esse neq; Gn.^a Mf.^a V.^a displicere posse existimo, si paucis & veluti suspensâ manu publicam calamitatem & exangvis corporis monetæ vulnera attingam, quo Gn.^a Mf.^a V.^a rem altius indagandi ansam præbeam: ubi imprimis ad animum revocari debent;

Primò quod nova ista vilioris ligæ moneta, nempe Orthones & Sexgrossal, Brambergici & Lithvanici, ut & Trigrossales & Sesquigrossales omnem ferè, ut apparet, antiquam ex argento factam Pecuniam, puta Thaleros, Polonicales & Pruthenicales Orthones, antiquos Sexgrossales & Trigrossales &c. consumpserint ac in se converterint; nam Offinarum monetarum Conductores non tantùm argenti crudi habentes, quantum monetando absumere cogitabant, ante memoratis probæ monetæ speciebus avaras manus injecerunt, quia inde leviori suo impendio argenti crudi defectum suppleri, quam illud ex aliis locis terra marivè adduci posse videbant; proinde hoc compendio usi, non cessarunt, ad eliciendum inde stipulatum illud exiguum locarium monetale & ad explendam insatiabilem suam lucri cupidinem, omnes supradictæ probæ monetæ species avidè corradere & conficere; & sic demum omnis bonæ monetæ, inprimis Thalerorum, & quæ cum his juxta proportionem suam pari passu ambulant, ducatorum penuria, & tandem crescente eorundem externo valore, non necessaria argenti caritas secuta est, prout auri fabri illud liquidius demonstrare poterunt. Et fanè nisi nunc demum isti malo occurreretur, intermittendo scilicet vilioris ejusmodi monetæ fabricationem, & melioris monetæ species, quæ passim adhuc in Polonia apparent, ab istorum ustulantibus manibus serio vindicando, ac defendendo, malum illud, quod jam ferè omnem medelæ spem superat, acrius abhinc ingravescet, & cunctos Regni Poloniæ incolas ultima ruina & fortunarum suarum clade involvet; imò vix etiam præcaveri poterit, quominus aliunde etiam ejusmodi noxia moneta caractere & effigie Polonicali peregre signata cumulatim in Poloniam transfundatur, id quod jam sæpius factitatum esse non levibus ex indiciis suspicari licet.

Quod

II. Quod aucto thalerorum aliarumq; probatarum specierum externo valore, etiam pretia rerum valdè aucta fuerint, & universalem mercium transmarinarum caritatem in Polonia introduxerint, vernaculis interea & domi natis mercibus ibidem vilescitibus; id quod nullis Constitutionibus Regni nullisq; legibus etiam sanguine scriptis emendari poterit; imò omne citius cum Exteris ibidem commercium planè delebitur, quam eò adigentur peregrini, ut peculiaria mercimonia sua minoris, quam illis expedit, inviti dividere, & nativas Poloniæ merces pluris, quam alibi veneant, emere velint.

III. Quod auctis, sicuti modo dictum est, pretiis rerum, indeq; orta rerum venalium caritate, lata quoque fenestra aperta fuerit augendis simul Operariorum diurna aut annua mercede servientium Salaris, ingenti cum incommodo rei familiaris eorum, qui hujusmodi hominibus carere nequeunt, eoq; carius eos alere majoremq; solito mercedem iis solvere coguntur, quo minus antiqua merces in nova hac viliori moneta soluta hodiè illis sufficit, ad ea sibi paranda, quæ olim eadem mercede in antiqua moneta soluta parari poterant.

IV. Quod ob infelicem hanc rei monetæ arendam omnes tam publici quam privatorum reditus valdè arrosi & extenuati sint. Nam quemadmodum omnes Contractus in genere, nec non proventuum publicorum aliarq; præstationes annuæ non Thalerorum in specie sic dictorum, sed florenorum Polonicalium stipulatione celebrari consueverunt, ita etiam solutione eo nomine in vilibus Orthonum & Sexgrossalium Brambergensium speciebus facta, tanto minus argenti in thesaurum publicum, aut arcas privatorum infertur, tantoq; minus percepta hæc pecunia percipienti prodest, quanto vilior moderna moneta existit, quam antiqua, ita ut

B 2

neces-

necessariò propter hanc discrepantiam monetalem hodiè omnes reditus multo exiliores concilioresq; existant, quam olim: nam, exempli gratia, superiori tempore & adhuc sub initium belli Suecici novissimi pro 300. fl. monetæ Polonicae eo tempore fabricatæ 100. thaleri in specie sic dicti, permutando impetrari poterant, nunc verò pro 300. fl. Polonicilibus, puta Orthon. & Sexgrossal. Brambergens. vix 85. thaleros nancisci possumus, & sic super hac Summa 300. fl. statim 15. thaleri & ultra forti decedunt & amittuntur, ob nimium hunc argenti puri in ejusmodi vilioribus speciebus defectum & immodicum thaleri in 3½. fl. excrescentis valorem. Quantum igitur emolumentum hoc modo redditibus decrescat, & quantum è contra detrimenti iisdem accrescat, id illustri Gn.^a Mf.^a V.^a judicio relinquo, satisq; id in præcedente puncto tertio indigitatum est. Unde demum asseverare auisim, vix quenquam reperiri, quin fortunas suas ultra trientem Substantiæ universitatis singulis annis hoc modo delibatas ac diminutas sentiat: Neque unquam ex ista calamitate emerfuri sumus, quam diu corruptus ille ac perturbatus rei monetariæ Status in ordinem non redigetur. Quæ quidem cum ita sese habeant, non est, quod illi plus justo rei monetæ corruptelam perstrinxisse, aut nimium censuræ in eam sibi arrogasse arguantur, qui statuerunt, pravam monetam magis regioni alicui formidandam esse, quam externum & armatum hostem, huncq; non tantam, quantam illa, eidem vastitatem inferre posse, etiamsi is omnia funditus deleat, neque lapidem super lapide relinquat; nam quæ bellica tempestate vastantur, fertilitate soli & incolarum industria pensari possunt, damnum verò ex corrupta moneta pullulans nunquam cessat, quamdiu profusio ejus continuatur, quæ tanquam intestina tabes omnem & glebæ ubertatem & incolarum industriam sensim consumit ac depascit, donec tandem totius regionis flos ac vigor planè extinguitur.

V. Quod exitiosa hac rei nummarie novitate cursus commerciorum (illud publicarum privatarumq; opum ac fortunarum columen!) in Polonia valde conturbatus, & magna ex parte aliò aversus fuerit, non citra magnum publicæ privatæq; rei detrimentum: Nam quia non statim ab initio deterioratæ rei monetæ, intrinseca specierum recens profusarum qualitas, veraq; internæ bonitatis ad thalerum communem proportio adventantibus huc mercatoribus patuit aut innotuit, quo magis juxta eam merces suas taxare possent, necessariò tantas inadvertentiæ suæ poenas dederunt, ut accepto semel circa venditionem mercium damno, amplius eodem redire noluerint. Quippe sicuti is mercatorum mos est, ut eò maximè confluant, ubi justæ & qualitatis & quantitatis moneta suppetit, quia ibidem sive mercium suarum venundatione sive fœnoris trapeziticæ exercitio maximum quæstum se facere posse autumant; ita mirandum non est, quod aliquandiu abhinc exotici, qui paratam è mercibus suis pecuniam secum è Regno hoc auferre, nec in emptionem nativi ibidem mercimonii convertere consueverunt, ut Hungari, Silesi, Austriaci, Itali &c. aut planè non aut certè parcius rariusq; eò redierint. Horum exemplum adhuc sequuntur ii, qui merces suas in Poloniam importare, aut nativas inde reportare, transq; mare inde divehere soliti erant; namque propter lubricum & mutabilem ibidem rei monetariæ statum cum mercibus suis eo redire verentes aliò se converterunt, & inter alia Moscoviæ, Livoniæ & Pomeraniæ loca frequentare cœperunt, ubi & melioris monetæ & earundem rerum mercalium copia existit, quas per portus Prussiæ è Poloniâ petere antea consueverant; Cujus quidem rei testes esse possunt ipsi majoris Poloniæ incolæ, qui superioribus annis, ubi morbus iste monetæ sævire cœpit, solitum cursum mutarunt, & nativas mer-

ces suas non uti antea, Thorunium, ubi vilior nummus eos expectabat, sed versus Pomeraniam meliori moneta instructam, divexerunt, indeq; ea, quibus ipsi indigebant, & quæ mari eò asportantur, reportarunt, non sine insigni regionum in portibus Prussiæ Proventuum ac teloniorum Regni detrimento; nam si mercimonia ista per portus Prussiæ in Poloniam invec̄ta indeq; alia reportata fuissent, reditus Regii in portoriis ac teloniis Poloniæ non parum augeri ac locupletari potuissent, plurimumq; quàm nunc fit, navium confluxu sine dubio effectum fuisset, ut frumentum ex aliis Poloniæ oris frequentius eò asportaretur, cariusq; venderetur, quam nunc, ubi profligatis per pravam monetam commercii illud emptore carens planè infructuosum jacet, aliiq; imprimis Pomerani hoc emolumento fruuntur, postquam commercia commercantesq; exoticos melioris nummi splendore ad se pelleverunt, & à Prussia planè averterunt. Neque verò hic finis malorum est, sed initium, nam vilitas frumenti, & e contra exoticarum ac trans marinarum mercium caritas, ultra prægravem pretii excessum, quo jam laborant, tanto magis abhinc increbescet ac ingeminabitur, quo plus frumenti & quominus exoticæ mercis in Emporia Regni comportabitur, quoniam multitudo vel paucitas mercium pretium earum vel extenuare vel minuere vel etiam extollere & augere solet: id quod illis, qui frumentum suum non in Pomeraniam, sed necessario in Prussiam Scaphis transvehunt, indeq; transmarinas merces repetunt, valde incommodum ac damnosum accidit, neq; nisi restoratione rei monetariæ rectificari ac in pristinam viam reduci potest. Cætera damna, quæ hactenus Polonia ob concussum statum monetalem perpessa, & adhuc nisi strenuum remedium afferatur, passura est, hic non attingam pluribus. Quod si verò quintuplex hoc dispendium, de quo hactenus
egi,

egi, comparetur cum emolumento, quod ex locatione Officinarum monetarum toto hoc temporis spatio in Thesaurum Regium redundavit, ac in ratiocinia publica relatum fuit, facile apparebit, dictum Thesaurum paucis centenis millibus inde locupletiore factum, contra verò egestatem publicam ubiq; locorum toto Regno introductam esse.

Nam prout liquet ex ratiociniis Thesauri, quæ Anno 1664. in Comitibus tunc temporis Regni Ordinibus exhibitæ sunt, usq; ad illud tempus nempe quatuor annorum spatio, ex universis Regni Officiis monetaribus titulo arendæ 122780. fl. duntaxat in Thesaurum Regni illata sunt: sicuti dicta ratiocinia pag. 26. testantur. (De cæteris Contractibus cum Boratini & Tympio ratione Solidorum cupreorum & vilium petiarum, florenicalium initis nihil hic dicam, cum non nisi de vili Sexgrossalium & Orthorum pretio hac Epistola agere mihi proposuerim) E contra verò quot miliones isti Officinarum Monetarum Conductores interea lucrati sunt, & quantum publicis privatisq; facultatibus vilium istarum specierum fabricatione subtractum sit, id parim ex sumptuoso ipsorum vivendi apparatu intelligi, parim quoq; ex eo comprehendi potest, quod omnis illa melioris notæ moneta, qua ante hac Polonia abundavit, Thalérorum nimirum & Orthorum nec non Sexgrossalium antiquorum, ferè evanuit, & in novam hanc monetam transmutata est, ex quo sane amplissimum hoc & quondam opulentum Regnum multarum millionum jacturam fecit: quando quidem satis demonstrari potest, quod ex Sex millionibus probæ illius monetae septem miliones novorum & præsentium Sexgrossalium & Orthorum fabricari queant. 2. Immensum ipsorum lucrum ex eo apparet, quod Officinarum monetarum Conductores incredibili festinatione ejusmodi vilis monetae species procudi curarunt, ut eo majori lucro potirentur, antequam

quam damnum publicum ab ipsis inde datum in omnium oculos incurreret. Nam prout à Viris fide dignis relatum est, in Officina Brambergensi sæpe numero 12. homines soli impressioni characteris novorum Orthorum adhibuerunt. At qui inter omnes rei monetariæ peritos constat unius hominis opera 300. marcas per diem procudendis Orthonibus consumi posse, id quod singulis Septimanis in senos dies computatis 1800. marcas efficit: quod si igitur Sex tantum homines (ne dicam duodecim) per integrum unius anni sive 50. septimanarum spatium istum procusionis laborem continuarent, intra dicti temporis spatium Summam 540000. marcarum procudere possent, id est, (computatis in quamlibet Marcam 32. petiis Orthorum) decem Milliones & 368000. fl. polonicales. Ex qua Summa Monetarii ultra quasvis expensas (mutatis nimirum per eos undecim lothorum Orthonibus in novos istos 10. lothorum & duorum aut trium denariorum Orthones) Septendecim tonnas auri lucrifacere sibi possunt. Neq; Ge.^a Ms.^a V.^a ullatenus dubitabit quin ultra decem Milliones quotannis in Officinis Regni procudi potuerint, quippe amplissimum & populosissimum Regnum Poloniae ingentibus Summis Pecuniæ indiget, & ex ante allegatis Thesauri ratiociniis apparet, intra ejusdem Regni complexum duorum annorum spatio ferè 20. Milliones via contributionis in Thesaurum manasse, quæ quidem Summa uti per se liquet, non tota Substantia, sed pars duntaxat facultatum privatarum fuit.

Quibus autem modis ingentia ista damna resarciri eisq; impofterum obviari possit, meum non est disquirere, utpote qui haud ignarus sum, quod ad consilium nemo nisi vocatus accedere debeat; Quod si tamen Gn.^a Magf.^a V.^a hoc quoq; nomine mihi loquendi potestatem facere, & mercatorio more de hac re disferentem benignè audire velit, haud distit-

bor,

bor, per occlusionem Officinarum monetarium Regni in numero Convocationis Conventu Generali decretam, monetæ emendandæ initium factum esse, eo namque Scaturigo tanti mali quodammodo obturata est. Illud tamen displicere forsitan possit, quod æquè probæ quam vilioris monetæ Officinæ eodem Decreto occlusæ esse videntur, & sic occasio, Regnum meliori pecunia refocillandi omnibus adempta est.

Sicuti verò occlusio Officinarum monetarium non finis est, sed gradus tantum emendandæ rei monetariæ, ita quoque circa eam non quiescendum, sed ulterius nempe ad reductionem sive valvationem vilioris monetæ progrediendum est, nimirum ad genuinum valorem ac pretium suum juxta intrinsecam ejusdem bonitatem eam revocando, idq; hoc modo, ut Orthones Bidgostiensis & Lithvanici ad 15. grossos, trigrossales ad 2½. grossum, & denique Sesquigrossi ad unius grossi valorem reducantur: nam hoc modo non solum thalerus pristino justoq; valori suo, nempe 3. florenorum, restituetur, ejusq; ut & aliarum bonarum specierum conflatio & exterminatio vitabitur & mercatus argenti crudi vilior reddetur, sed etiam pretia rerum laxabuntur ac minuentur, exorbitantia mercedis annuæ ac diurnæ sistetur, redditus tam publici quam privatorum meliorabuntur, commercia reflorescent, & denique præcavebitur, quo minus ejusmodi pravæ monetæ species Characterem Polonicum alibi privati quæstus causa signatæ amplius in inclyti hujus Regni penetralia immittantur, cessante enim & sublata per valvationem improba ista lucrandi licentia, thalerus ad justum valorem suum reductus omnia ista ante enumerata commoda secum afferet.

Quod si verò quis adhæc replicaverit, istam valvationem jam diu re ipsa & in effectu factam esse, dum quicquid ejusmodi vilis monetæ est, inter commercantes non eo, quo

C

valet,

valet, sed quo valere debet ac potest, pretio æstimatur, ita ut quod intrinsecæ ejus bonitati ac ponderi deest, numero petiarum compensetur, dum solito plures earum petiæ in thalerum computantur, aut pro mercibus accipiuntur, sicq; aucto mercium aut cambii pretio, tantum puri argenti in pluralitate petiarum recipitur, quantum alias in singulis petiis desideratur. Sed ut pauca ad ista regeram, non quidem negavero, exoticos mercatores, utpote naturâ versutos & lucri cupidos sic quidem indemnes evadere, interea verò cum ista non nisi privatæ licentiæ valvatio sit, parum ea aut nihil Reipubl. & singulis Regni incolis prodest, nec eâ damna, quæ paucis hæctenus attigi, eluuntur, sed potius augentur & increbescunt, prout quotidiana experientia luculenter id testatur. Si verò externus harum viliorum specierum valor juxta intrinsecam earum bonitatem & naturam auctoritate & lege publicâ constitueretur, ac ritè ordinaretur, non solum mercator, sed universi Regni incolæ fructum valvationis sentire, & omnia publica ac privata incommoda è rei monetæ corruptione existentia uno veluti momento tolli ac aboleri possent.

Neque porrò devalvatio factu difficilis aut cum publico privatorumve nimio aut irreparabili damno conjuncta erit, neque etiam rationes istæ, quæ à quibusdam in contrarium afferuntur, satis validæ ac momentosæ sunt ad dissuadendum salutare illud valvationis remedium; I. durum & difficile, inquit, depauperatis Regni incolis erit, hoc tempore, ubi ingentia militibus stipendiorum residua debentur, multa contribuere, & simul per valvationem sextam partem paratæ pecuniæ suæ amittere. Ad quæ replicari potest, nunquam in Regno hoc de fore contribuendi necessitatem, & consequenter istam dissuadendi rationem nunquam cessaturam esse, at ideò omnem emendandæ rei monetariæ curam ac cogitatio-

cogitationem planè abjicere velle, ab omni ratione alienum foret, quis enim non videt, cunctorum fortunas ob rei monetariæ corruptelam planè ad interitum vergere? eosq; insigniter errare, qui putant, ob damnum ex valvatione forsan emerfurum tributa incolis difficiliora ac graviora fore; nam sicuti tributa ut plurimum ab agricolis cæterisq; Opificibus penduntur, qui haud magnam paratæ pecuniæ sortem possident, sed mercedis diurnæ aut pecuniæ ex frugibus comparatæ adminiculo præstationes & onera ferunt, ita etiam iidem post factam valvationem non aliam quam probam pecuniam pro operis aut frugibus suis accipient, eandemq; deinceps citra ullum dispendium rursus in tributa expendent. II. Ad secundum eorum argumentum, nimirum quod passim vicini Principes, qui deteriores monetam cudere in suis terris cæperunt, istâ occasione meliorem Poloniæ monetam exhaurient, & permutari ac conflare curabunt; responderi potest, quod exceptis Imperatore & quibusdam Silesiæ Principibus, & in Livonia Suecis (nam Elector Brandenburg. ratione Ducatus Prussiæ Ordinationi monetæ Poloniæ haud difficulter se conformabit) vix quisquam cæterorum Principum, quibuscum Poloniis aliquod commercium intercedit, viliori moneta in suis terris utitur; Et porrò quod finitimorum pravæ monetæ, si in Polonia non tolerantur, sed sicuti antea semper factum est, rigorosis Universalibus & vi executiva inde arceantur, proscribantur & prohibeantur, ejusmodi permutatio melioris in Polonia monetæ, exportatio & conflatio æquè facilè vitari poterit, quam ante novissimum bellum Succicum factum est, ubi etiam à finitimis deterior moneta, cudebatur, sed quam in Poloniam importare ibiq; divulgare ipsis haud licebat. Nam quando vicini Principes reprobata monetam suam foris divulgare aut in alienas terras transfundere nequeunt, non plus monetari curabunt,

bunt, quam domi indiget Subditorum usus, qui non adeo
latè patet, & consequenter ultrò desinent probam Polo-
niæ monetam Thaleris ac Ducatis permutare ac con-
flare, quia parum emolumentum ex eo sensari forent;
prava autem moneta sua permutationem istam fru-
stra tentabunt, quia ejusmodi moneta utpote pro-
hibita cursu destituetur, id quod circa Solidos Rigenses eve-
nit, qui à decem & amplius annis, ex quo à Polonis non am-
plius ut antea ad dimidium usq; se lædi passuris, repudiari
cæperunt, & exinde Solidi isti in Livonia procudi fere in-
torum desierunt, quia domi remanent, nec alio aut in Polo-
niam inde exportari ibiq; divulgari queunt, & sic incredibile
illud lucrum, quod Regnum Sveciæ ex procusione istorum
Solidorum antea percipere consueverat, unà & veluti mo-
mento corrui. Neq; pro impossibili, ut isti contendunt,
habendum est, vicinorum viles monetas omnino rejici posse,
cum neq; commerciorum cum illis exercendorum ratio
nec ipsa vicinitas id patiat, nam contrarium satis apparet
ex ante allegatis rationibus. Adhæc ipsa experientia testa-
tur, nec ullo modo negari potest, quod etsi Marchiâ Bran-
denburgicâ, ferè tota Major Polonia undiq; cingitur, tamen
fabrefactæ ibidem à 50. & amplius annis vilis monetæ Spe-
cies nunquam intra ejusdem Majoris Poloniæ fines receptæ
fuerunt, neq; incolis quidem notæ factæ sunt, quo minus
probam ibidem monetam absorbere potuerint. Neq; et-
iam ista valvatio sive publicæ sive privatæ rei (exceptis mer-
catoribus & alienigenis in Polonia degentibus) noxia existe-
re poterit, nam sicuti non adeo magnæ Summæ Pecuniariæ
in Thesauro Regni alijsq; arariis publicis existunt, neq; diu
ibidem aservantur, sed simulac eò inferuntur, etiam rursus
expenduntur, & pro emergente necessitate in usus publicos
convertuntur; ita etiam non magnum ex valvatioe di-
spendium

spendium metuendum erit circa Pecuniæ publicæ dispensa-
tionem. Neq; etiam ea Magnatibus cæterisq; fortunatori-
bus Regni Civibus magis detrimentosa esse poterit, quippe
cum non verisimile sit, ut ex ejusmodi vilis monetæ specie-
bus magnas Gazas adornare, sed eas potius in aurum com-
mune convertere, & ad decus & necessitates Domus suæ re-
condere animum induxerint. Deniq; non est quoq; quod
reliqui, quibus diurna operâ ac mercede ruri aut in Urbibus
victitandum est, ab ista valvatioe sibi metuant, eamve val-
de reformident, utpote qui crebris contributionibus & par-
ca tenuiq; operarum suarum mercede ita enervati & exhau-
sti sunt, ut non magnos paratæ Pecuniæ acervos comparare
sibi potuerint, & si quid forte Pecuniæ reliquum ipsis esset,
in qua damnum ex valvatioe publica pati possent, facile id
paucorum dierum assiduo labore superaturi sunt; & quem-
admodum per ipsam valvatioem melioratio commercii ci-
villis vitæq; communis in universi Regni ambitu haud dubiè
introducetur; ita deinceps opima frugum ac operarum diur-
narum mercede omne valvatiois dispendium compensari
poterit. Mercatoribus demum solis forsan isthæc valvatio
prima Specie formidolosa videbitur, quia præ cæteris majores
stipatæ Pecuniæ Summas recondere soliti sunt. Sed re-
penitus perustrata patebit, neq; eos etiam valde lædi aut
tam in eluctabili damno affici, ut de eo valde conqueri de-
beant, nam aucto, sicuti antea ostensum est mercium vendi-
tarum pretio juxta currentis Pecuniæ proportionem, nihil
sane damni circa interiorem monetæ valvandæ qualitatem
effectivè accipient, sed tantum respectu externi valoris &
imaginariæ æstimationis lædi videntur, nam etsi in quanti-
tate & numerositate Summarum aliquid illis decrefcere vi-
detur per valvatioem, tamen re ipsa, sive in qualitate & bo-
nitate intrinseca valvatæ monetæ, eiq; inhærente argento

puro nullum decrementum sentient, aut si quod esse putabunt, illud subsequutura collapsorum commerciorum instauratione & melioratione facile redintegrabitur.

Proposita autem valvatio ista ne veluti ex improvise aut citra pravam intimationem ac commonitionem superveniat, termino quodam dilatorio ac suspensivo ad executionem ejus procedi posset, quo facilius unusquisque intra spatium executioni præfixum sine insigni subitoque aliquo damno oculos suos noxalibus ejusmodi nummis exonerare queat; Neque etiam particulatim aut pedetentim duabus aut tribus vicibus, sed totaliter & uno veluti ictu fieri debet, quo totum Reipubl. Corpus salutari hac urendi secandique (ut ita loquar) necessitate sanetur, malumque deploratum radicibus excindatur atque tollatur, alias præsumptum ex valvatione ista damnum sive potius damni metus & imaginatio animos hominum majoris mali umbram exterrere & novam quirerandi materiem vulgò suppeditare posset. Nam si valvatio ista particulatim fieret, vix commerciorum conturbatio evitari, nec pretia rerum ad justum & antiquum modum reduci possent, quippe repetita subinde reductione monetali incommoda quoque & difficultates ordinandi commercia rerumque pretia secundum fluctuantem monetæ toties mutatae cursum, ac valorem constituendi semper unam renovantur; è contra vero reductione totali tanquam uno negotio omnia perficiuntur, & è vestigio ejusmodi totalem valvationem commerciorum melioratio, mercium exoticarum vilitas, & deterioris monetæ in meliorem conversio sequetur.

Ejusmodi incommoda & nihili fere æstimandum emolumentum ex partiali reductione Monetæ resultantia, quæ brevibus indigitavi, dubio procul Rempublicam manebunt, si in animum ea inducat, aut persuaderi sibi patiat, pedem monetalem mutandum, & non æquè probam monetam,


tam, qualem ante decem vel duodecim annos procudi curavit, hoc temporis introducendam & modernas minutas species non nihil meliorandas esse: Nam illa qualis qualis monetæ emendatio, quæ non omnimodam meliorationem speret, ex parte tantum Reipubl. consuleret, neque eo ipso vis mali tolleretur, sed aleretur, non extirparetur, sed sensim propagaretur, tandem in exitialem tabem eruptura. Accedit quod hac Ratione commodum, Regni Thesauri ex annua rei monetariæ arenda seu locatione proveniens, exigui futurum sit momenti, & egestati publicæ hoc modo & medio non tantum non succurreretur, sed perpetuum fomentum suppeditaretur.


Et hæc fere sunt, quæ pro tenuitate ingenii mei circa statum modernum rei monetæ, & ad conservandam existimationem meam delineare, & altiori Græ. Mf. V. judicio subicere volui.

Gn. Mf. V.

Obsequiosissimus,







Hist. Polon.
a general.

